

Hanc quæstionem ut jucundissimam ita nobilissimam præsens noster Candidatus pro singulari doctrina atq; eruditione sua, quam indefesso studio sibi comparavit, toti huic amplissimo Confessui breviter atque nervosè declarabit. Vos, quotquot adestis omnium ordinum auditores exoptatissimi, favete linguis, & ex ungue, quod dicitur, Leonem agnoscite.



Johannis Hempelii Siles. Med. Doctorandi

R E S P O N S I O, A D
Q U Æ S T I O N E M A C L A R I S S I M O
D O M I N O P R O M O T O R E P R O P O S I T A M, Q U Æ
q u æ r i t u r d e m o d o, q u o v i r t u t e s m i n e r a l i u m & m e-
t a l l i c o r u m a q u i s s u b t e r r a n e i s c o m m u-
n i c a n t u r.

Libens omninò, & citra ulteriorem moram jussui tuo parebo, *Vir undiquaque Clarissime & experientissime, Domine Præceptor & Promotor æternum mihi honorande*, modò Amplissimi hujus Auditorii, quod reverenter & ex animo precor, benevolentiam & favorem impetrare valeam; de quo meo voto cum optimâ sperem: brevissime idcirco, ne prolixitate tædium pariam, mentem meam circa quæstionem propositam sequenti modo proferam.

Inter opera admiranda alia quàm plurima, quibus **D E U S T E R O P T. M A X.** Naturæ majestatem abundè locupletavit, omnem penè admirationem superant tot ac tam
diver-